

nos Cardinales, ut pro tam urgenti necessitate ac conservatione status Ecclesiæ Romanae ac Romanæ Curiae, acceptationem et electionis rati habitionem huiusmodi grato et benivolo suscipient affectu. Et ut acceptatio et ratificatio huiusmodi ad omnium et singulorum christifidelium notitiam valeant pervenire, praesentes litteras sive praesens publicum instrumentum in valvis Ecclesiae Laferanensis ac basilicae Principis Apostolorum de Urbe ac acie Campi floris et aliis publicis locis, ubi opus fuerit, per duos ex nostris et Apostolicae Sedis cursoribus affigi volumus et mandamus. In quorum fidem et testimonium, praesentes litteras, sive praesens publicum instrumentum huiusmodi fieri et per notarios publicos infrascriptos subscribi, nostrique sigilli quo de praesenti utimur appensione communiri mandavimus. Datum et actum in dicto oppido de Victoria Calaguritanensis diocesis. Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo vigesimo secundo, die vero Sabati, octava mensis Marcii, praesentibus ibidem Reverendissimis ac reverendis patribus Dominis Joanne Burgensis, Didaco Ovetensis, Laurentino Nicopolano episcopis, Banesio de Albergatis scriptore apostolico dictae Sedis Apostolicae in Hyspaniarum regnis nuntio, Garsia de Loaysa ordinis Praedicatorum in dictis regnis generali. Dydaco de Patorna abate saecularis ecclesiae sanctae Christinae de Sancta Pia, licentiatis Aguirre et Polanco sacrae Cesareae et Catholicae Maiestatis consiliariis. Petro Gonzales Manso utriusque iuris doctore, Ferdinando Manzuecos Sancti Officii inquisitionis in prefatis regnis consiliariis, Thuribio de Saldana licentiato, Lupo de Hugarte bacalario, Joanne Ortiz de Zarato relatore dicti Sancti Officii testibus ad praemissa vocatis, pariterque rogatis.

Et Ego Petrus Verbeck de Cheldorf clericus Leodiensis diocesis publicus sacris apostolica et imperiali auctoritatibus notarius, quia suprascriptae electionis ad Pontificatum Sanctae Romanae Ecclesiae acceptationi ac rati et grati habitioni, cœterisque omnibus et singulis praemissis, dum sic ut praemititur fierent et agerentur, una cum praenominatis testibus praesens interfui eaque sic fieri vidi et audivi, ideo hoc praesens publicum instrumentum manu alterius fideliter scriptum ex inde confeci et subscripti signoque et nomine meis solitis et consuetis, una cum praefati Sanctissimi Domini nostri Hadriani electi Pontificis romani, quo in praesentiarum utitur cardinalatus sigilli appensione signavi, in fidem praemissorum rogatus et requisitus.

Nos Johannes de Fonseca archiepiscopus Rosa-

nensis et episcopus Burgiensis testis supranominatus, quia tempore subscriptionis istarum litterarum duplicatarum, alter notariorum videlicet Lupus Diem fuit absens, idcirco propria manu nos subscrisimus in fidem praemissorum — Fonseca Archiepiscopus, Episcopus.

Ego Vianesius Albergatus nuntius apostolicus testis suprascriptus, quia dictæ acceptationi praesens fui, et cum Lupus Diem, alter notarius qui etiam praesentis instrumenti rogatus fuit, absens cum praesens instrumentum scriberetur erat, propter eius absentiam, in fidem et testimonium praemissorum, hic me subscrispi.

Ita est Vianesius Albergatus nuntius Apostolicus manu propria.

In nomine Domini, amen. Anno a nativitate Domini Millesimo quingentesimo vigesimo secundo, indictione decima, die vero Martis, octava mensis Aprilis.

Magnificus dominus Melchior de Badaxinis concistorialis advocatus, una cum reverendo domino Vilhelmo Enckenvoirt Sanctissimi Domini nostri procuratore, retroscriptum instrumentum acceptationis nomine retroscripti Sanctissimi Domini nostri, Sacro Colegio reverendissimorum Sanctæ Romanae Ecclesiae Cardinalium, tunc in generali et plena congregatione existentium praesentavit, requirens et alia faciens quae in eodem instrumento retroscripto continentur. Ex tunc, reverendissimi domini Cardinales praedicti, unanimiter, cum debit is non solum affectu sed honore et reverentia, dictum instrumentum ac requisitionem recipientes et Deo Altissimo gratias agentes, retroscriptum instrumentum non solum affigi in locis antescritis, sed etiam imprimi iusserunt, ut per omnem christianitatem acceptatio praefati Sanctissimi Domini nostri divulgetur ad Dei laudem et honorem, cui sit gloria in aeternum. Amen. Super quibus, praefati reverendissimi Cardinales nobis Notariis et eorum Sacri Collegii secretariis iusserunt et praefatis dominis Melchior et Vilhelmus rogaverunt ut de praemissis unum vel plura conficeremus instrumenta.

Actum Romæ in palatio Apostolico in sala so-  
lita congregationum, praesentibus ibidem reverendo  
in Christo patre domino Johanne de Loaysa episco-  
po Algarensi, et reverendo domino Johanne Jng-  
enuinkel litterarum apostolicarum abreviatore de  
maiori praesidentia, testibus ad praemissa vocatis,  
adhibitis et rogatis.